SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino


JOANNE BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

B U S S I

A R C H I E P I S C O P O.

Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiæ morem die 24. Augusti 1830.



B E N E V E N T I MDCCCXXX.

Apud Gregorium Paternò Typographum Cameralem.

JOANNES BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA

TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS BUSSI

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ BENEVENTANÆ

ARCHIEPISCOPUS.

Decretum de Synodi aperitione.

In Nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Septimo Pontificatus nostri labente anno, sextam Dioecesanam Synodum in nostra Metropolitana indictam hac die 24 augusti 1830. ad Omnipotentis Dei et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimae Deiparae, S. Michaelis Archangeli, B. Ap. Bartholomaei, SS. Pontific. Nostrorum, Januarii, et Barbati, SS. Dominici, et Filippi Nerii Confessorum, coeterorumque nostrae Civitatis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem, et laudem apertam esse, atque inchoatam volumus, decernimus, ac promulgamus.

Ne quis interea institutum hoc a nostra Beneventana Ecclesia antiquitus receptum, et firmiter retentum celebrandi quotannis Dioecesanam Synodum supervacaneum esse existimet. Haec enim religiosa consuetudo, ut nostrae Ecclesiae summo decori vertenda est, quippe quae eam in servandis Sanctae matris Ecclesiae canonicis decretis diligentem praedicat, ita etiam Clero, et Dioecesanis universis semper utilissima fuit. Et re quidem vera per hujusmodi annuos coetus Archiepiscopi Praedecessores nostri doctrinae opportunitate, ac veritate,

et legum sanctione assidue verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae, dispendere potuerunt. Atque ita pro re nata, quoties opus fuit alicujus Ecclesiae subvenire necessitati, praesto semper fuerunt; nec non serpentes errores statim convellere, depravatos mores corrigere, disrupta consolidare, infirma curare, et omnes ad debitam obedientiam, et bonam frugem revocare obtinuerunt. Populus interim, et Clerus ipsis commissus diligentius eorum expectationi respondit, et ita Dioecesis Orthodoxam doctrinam, morumque integritatem sartam tectam semper habuit. Quae cum certa, atque indubitata sint, illud optandum superest, ut qui sunt in sortem Domini vocati, dum sacris litteris vacant, Ecclesiae nostrae historiam etiam atque etiam cognoscere studeant, atque inde haustas Synodales Constitutiones memoria retineant, operibusque exequantur. Ita enim earum et Synodorum utilitas magis magisque elucescet.

TITULUS PRIMUS

De Confirmatione Synodorum usque modo celebratarum.

Dioecesanas Synodos per nos, et a Praedecessoribus nostris sancte et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quae his decretis non repugnet, confirmamus, et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub poenis in illis statutis et comminatis.

TITULUS SECUNDUS

De Missœ Sacrificio.

Ut cunctis pateat, in Missae Sacrificio sub speciebus panis, et vini adesse, Deoque Salvatoris, et Domini nostri J. C. verum Corpus, et Sanguinem offerri, utque Illi debitus honor, et cultus tribuatur, Sancta mater Ec-

clesia divinitus edocta, quas coeremonias ad tanti Mysterii celebrationem necessarias, et idoneas existimavit, eas instituit, ac diligentissime observatas voluit. Praeter coeteras, mandavit, ut Sacerdotalia Indumenta, et sacra Suppellectilia pro divinis celebrandis Mysteriis ea materia conficiantur, quae ad id sint magis accommodata.

Quapropter Sacra Congregatio Sacrorum Rituum conservationi praeposita ad primaevam, puramque institutionem reducere cupiens eam materiam, ex qua confici oportet praefata Indumenta, ac Suppellectilia, statuit, ut ea etiam, quae propius sacris Mysteriis non inserviunt, ex lino vel cannabe sint; hac tamen distinctione, ut corporalia, pallae, et purificatoria non ex lino vel cannabe confecta illico interdicantur, non item Indumenta et coetera Suppellectilia, quorum permisit usum, si jam benedicta; novorum autem benedictionem omnino prohibuit (1). Inhaerentes Nos hujusmodi decreto, praecipimus omnibus Rectoribus, et Sacristis Ecclesiarum, ut ab Altari, Missaeque Sacrificio corporalia, pallae et purificatoria, quae ex lino non sint, removeant; itemque jubemus omnibus Presbyteris, quibus facultas benedicendi sacra utensilia demandata est, ut idem decretum religiose observent.

Timemus hic, et non leviter timemus, ne hodie in multos recidat, et cudatur illud Regalis Prophetae (2) *initiati sunt beelphegor*; *et comederunt sacrificia mortuorum*, *et irritaverunt eum*. Missarum enim oneri segniter satis pene ubique fit; quin et nonnullis Ecclesiis etiam libri, ubi Missarum haec onera scribi solent, desunt illis, non exceptis, quibus adnotantur Missae a Parochis diebus festis pro Populo celebrandae. Quocirca ad plenam, perfectamque observantiam revocantes omnes leges generales, et peculiares, quibus legatorum piorum satisfactio praescribitur, mandamus, ut in omnibus Ec-

(1) *Decret. Gener S. R. C.* 15. *maii* 1819.
(2) *ps.* 105. 28.

clesiis, quibus aliquod Missarum onus incumbit, praesertim Parochialibus, et Collegiatis, libri adsint pro illis adnotandis, qui confecti sint ad normam instructionum, quae legi possunt apud Synodicon Dioecesanum ann. 1722. ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Orsini editum. Quod si hujusmodi libri alicubi defuerint, omnes ad quos spectat eos conficere, et custodire, poenas non effugient, quas ad nostri arbitrium pro inobedientia mereri potuerint.

TITULUS TERTIUS

De Sacramento Ordinis.

Sacra Regia Majestas Serenissimi, et Augusti Francisci I., quem Deus semper sospitet, et fortunet, qua praeditus est clementia in curanda subditorum felicitate, ut occurreret difficultatibus, quae suboriri solent in sacri Patrimonii aestimatione, pro accurata executione art. XXI. novissimi concordatus opportunum censuit sacrorum Patrimoniorum constitutionem explanare, atque ita, cum hisce praesertim temporibus in multis Regni Dioecesibus Sacerdotum numerum augere necesse sit, faciliorem juvenum Clericorum ad Presbiteratus ordinem promotionem reddere. Quamobrem in Consilio ordinario Status habito die 12. martii currentis anni benignissimam suam mentem Regio decreto declaravit, quod pro nostra, et totius nostrae Dioecesis instructione, et norma, die 29. maji praedicti anni per Ministerium, et Regiam Secretariam Status rebus Ecclesiasticis praepositam nobis mitti curavit. Tam pia et utilis lex, vel potius suprema praecedentis legis interpretatio statim effecimus, ut nostris in Regno Dioecesanis innotesceret; attamen ut magis, magisque ab omnibus cognosci, legique possit, in calce hujus sanctae Synodi iterum publicari volumus.

TITULUS QUARTUS
De Ecclesiis Receptitiis.

Cum per literas Apostolicas in forma Brevis datas Romae die 13. mensis augusti 1819., quae incipiunt *Impensa*. . Ecclesiae receptitiae in Regno rite erectae, et approbatae canonicam institutionem consecutae sint; nostrum erit pro pastorali officio curare, ut aedem bene regantur, et conserventur. Quocirca praecipimus, ut in illis omnibus, quae per Regales Sanctiones in nostra Dioecesi approbatae sunt, novae modificationes veteribus Statutis adjectae juxta septemdecim articulos praescriptos in Consilio Status habito die 6. septembris 1824., et omnibus, ac singulis in iisdem Ecclesiis adscriptis significatos fideliter observentur.

Hoc idem observatum volumus in aliis novis erigendis Receptitiis, statim ac debitam approbationem retulerint.

Quoadusque vero nova Capitularia non fuerint digesta, et approbata; omnes Receptitiae minime violent, quae de disciplina chorali, de Missarum satisfactione, aliisque spiritualibus oneribus, et officiis a veteribus Capitularibus praescripta sunt.

Cum autem per praefatos septemdecim articulos inter caetera statutum sit, ut omnes Participantes pro annuorum computorum redditione judicio Curiarum Ecclesiasticarum stare, et inhaerere debeant; idcirco praecipimus, ut libri accepti, et expensi debitis regulis efficiantur, et diligenter custodiantur. Volumus praeterea, ut pari cura, solertia, rectoque examine, et judicio Deputati a Clero quotannis administrati rationem recipiant. Tempore vero S. Visitationis eosdem libros, et computa Clerus revisioni nostrorum Convisitatorum subjiciat, qui nobis referre debent administrationis statum, et conditionem, ad hoc: ut si quid vitii subrepserit, corrigatur, et qui causam ei dederit, pro nostro judicio puniatur.

Hic subjicere non abs re censemus piissimum Siciliarum Regem, cum exponeret, et moderaretur a Se sancitum diebus 6. septembris, et 18. februarii 1824., annueretque Episcoporum Consultationi, die 2. maji currentis anni decrevisse, ut si quis e Clero post expletum sextum mensem ab obtenta portione alicujus Ecclesiae Receptitiae sacrum Subdiaconatus ordinem non susceperit, eadem post indictum examen alteri conferatur, nisi Episcopus ejusdem Clerici sacram Ordinationem ad majorem ipsius dispositionem differri judicaverit; itemque statuisse si concurrentes qui proxime sint susceptioni Subdiaconatus, defecerint, tunc ad concursum eos Clericos admitti posse, qui jam vigesimum aetatis annum attigerint suamque probitatem, et scientiam circa res Ecclesiasticas prius vel in sacro Seminario, vel in alio gymnasio probaverint, atque ex Episcopi jussu alicui Ecclesiae in Divinis inservierint, indicia divinae vocationis haud dubia praeseferentes (1).

TITULUS QUINTUS.
De Publicis Supplicationibus.

Ut solemnes sacrae Supplicationes in Missali, et Rituali Romano praescriptae, omni quo decet cultu, et pietate in nostra Dioecesi serventur, nec usquam negligantur, illorum usum, et ritum omnium Ecclesiarum Rectorum, et Praesidentium curae, diligentiaeque commendamus. Operam dabunt etiam iidem, ut eae, quas antiquissima consuetudine admissas, receptasque repererint, integrae retineantur. Novae vero, ne ullibi non obtenta nostrae Archiepiscopalis Curiae facultate inducantur, praecipimus, quemadmodum sacris Canonibus, regiisque sanctionibus nuperrime promulgatis praescriptum est (2).

(1) *Litterae R. Minist. super reb. eccl.* 29. *maii* 1830. 2. *rep. n°.* 709.

(2) *Litt. diei* 3. *mart.* 1830. 2. *rip. n.°* 276.

Omnibus insuper illis, qui laicorum sodalitiis praesunt, mandamus, ut attente invigilent, et impediant, quominus in Supplicationibus intersint, vel vestes propriae Confraternitatis induant illi, qui facinorosi esse solent, vel vino indulgent, vel alio modo modestiae, et Religioni officere, ac dedecori esse possunt; ne hac de causa piae consuetudines, et publicae preces in populi aedificationem, et ad Dei, Sanctorumque cultum statutae in ruinam, et scandalum convertantur.

TITULUS SEXTUS.

De Libris improbatæ lectionis.

Romanorum Pontificum est ex munere agnos, et oves pascendi, quod Christus Dominus Divo Petro divinitus contulit, iisque, qui eidem Apostolorum Principi succedunt communicato, omnes quotquot unum cum ipsis mysticum Ecclesiae militantis corpus efficiunt, in rebus ad fidem, moresque spectantibus regere, ac docere. Est autem Fidelium omnium audire vocem supremi Pastoris ejus doctrinam tenere, ac praecepta servare. Haec docilis obtemperatio proprium catholici gregis characterem constituit, qui, ut Divinus Redemptor noster et Magister loquitur, suum sequitur Pastorem, ejus enim vocem agnoscit, alienum non sequitur, quia non novit vocem alienorum (1).

Jam vero cum Pseudo-Doctores tamquam lupi rapaces omni tempore, ut gregem Domini mactarent, et perderent illum libris errorum veneno infectis invaserint; Apostolica Sedes vigili, ac solerti diligentia, qua semper partes omnes muneris sibi divinitus crediti explevit, fideles nempe docendo, atque ab iisdem omne animorum periculum amovendo hujusmodi libros fidei, moribusque noxios proscripsit, eosque legere. ac retinere fidelibus interdixit. Ut nos quoque pro munere pascendi eam par-

(1) *Joan.* 10. 4. 5.

tem Dominici gregis nostris curis commissi tantum malum ab eodem avertamus, optimum factu ducimus nostrae Archidieceseos fidelibus notitiam librorum tradere, quos S. Sedes damnat. Quapropter per Synodos, quas quotannis celebrabimus, publicatum volumus eorum librorum Cathalogum, et primum in hujus ipsius Synodi actis.

Parochorum deinceps, et Confessariorum memoriae hic revocandum arbitramur, quae in regulis Indicis Sacrosanctae Synodi Tridentinae jussu editis, atque in observationibus, Instructione, Additione, et generalibus Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII., Alexandri VII., et Benedicti XIV. praescripta sunt, ut videlicet libros nefarios tametsi in Indicem non relatos, cum prorsus impossibile sit, omnes omnino in lucem continuo prodeuntes in Indicem referre, e manibus fidelium eripere studeant, et ad Curiam Ecclesiasticam mittere. Doceant insuper, premoneantque incautos praesertim juvenes, quam necessarium, et utile sit ad sanam fidem, probatosque mores conservandos decisionibus, ac legibus Supremi Pastoris lubentissime morem gerere. Ea enim ab Orthodoxis ut mystici corporis unitas perseveret, sine qua fides integra, moresque stare nequeunt, Apostolicae Sedi observantia, animique submissio prestanda est, quam Pastori oves debent, ac Fideles ipsi Christo. Maximum enim argumentum, ut Divinus Magister docuit, ac nos, supra jam innuimus, quod Christi Domini gregis unitatem demonstrat in eo praecipue situm est, ut Fideles ejus vocem audiant, et sequantur; et quemadmodum ipse Dominus cognoscit oves suas esse, quae ejus voci, non autem suas, quae voci alienorum auscultant, ita etiam Summus Pontifex ejus vices in terris agens non dissimili tessa Christifideles ab hostibus, oves a lupis discernit.

TITULUS SEPTIMUS

De iis, quae ad universas Constitutiones pertinent.

Omnes, ad quos spectat, pro ea parte, quae singulos tangit, praecipimus, ut suam quisque obligationem agnoscat praecipue Canonici, et alii de nostro Capitulo vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parrochi, et Archipresbyteri, et Beneficia obtinentes, omnesque etiam Clerici pro eo, quod ad vitam et honestatem Clericorum pertinet, infra mensem, postquam impressa fuerit haec nostra Synodus, ejus exemplum penes se habere teneantur sub poena arbitrio nostro infligenda. Mandamus praeterea, ut in qualibet Conferentia casuum conscientiae, et ss. rituum habenda in singulis locis Dioecesis juxta Synodales Constitutiones, legatur et explicetur per Praefectum dictarum Conferentiarum unus saltem titulus tam hujus, quam nostrarum praecedentium Synodorum.

ADDITIO

In Synodo Lytaniarum.

Cum posthabitam Synodum die 24. Augusti nova supervenerint publicatu digna, eadem in praesenti Praesbyterorum conventu subjici volumus.

TITULUS UNICUS.

De cultu, et invocatione Sanctorum.

Quoniam aequum, et laudabile est, a Fidelibus solemniorem cultum Sanctis exhiberi, qui cum fecerint simul, et docuerint, magni vocantur in regno Coelorum;

Apostolica Sedes, et Summi Pontifices in album Ecclesiae Doctorum illos retulerunt, qui catholica Doctrina hereses perdere fidei Dogmata corroborare, Ecclesiasticas res constituere, et spiritu religionis, et pietatis fideles erudire studuerunt. Inter hos nemini dubium, D. Bernardum locum obtinuisse, hominem sane doctrina magis Coelo tradita, quam labore comparata preditum. Idcirco SSmus. Dominus Noster Pius PP. VIII. rebus bene perpensis, et praemissis quae rite praemittenda erant, in ordinario Conventu S. RR. Congreg: diei 17. julii hujus anni Decretum tulit, quo praelaudato S. Abbati Doctoris titulum cum Officio, et Missa de Communi Doctorum, et Epistola 2. loco confirmavit (1); quae omnia, ut quilibet ex Clero nostrae Archidioecesis non ignoret, hic evulganda curavimus.

B. Episcopus S. Agathae Gothorum Congregationis SS. Redemptoris Institutor, dignus ab Ecclesia die 15. septembris 1816. habitus est, qui ad aras eveheretur. Novis nunc, et recentioribus miraculis Magnus Dominus Deus noster omnipotentiam suam manifestare voluit, eademque operatus est precibus, meritisque B. Alphonsi M. de Ligorio favens, ut egregiae ipsius virtutes majorem in Ecclesia celebritatem consequerentur, utque inde majori idem Beatus cultu efficeretur Sancta Sedes horum miraculorum judicio confecto (2) constare declaravit de duobus miraculis, quae pro periclitantibus invocato B. Viri nomine patrata sunt.

Absoluta igitur Causa Canonizationis B. Alphonsi M., quae Romae in Basilica S. Petri celebrari debet, ingens pecuniarum vis ad eam exequendam requiritur; ac propterea S. Congregatio negociis Epis: et Regul: praeposita, (3) summa pietas Siciliarum Regis omnes Ordinarios excitavere (4) ut pro pecuniis corrogandis,

(1) *Litteræ Apost.* 20. *aug.* 1830.
(2) *Dec. S. R. C. decemb.* 1829.
(3) *Litt.* 21. *novemb.* 1828.
(4) *Litt.* 1. *præteriti mens. septemb.*

quae necessariae sunt praefatae Canonizationi solemniter habendae studiose incumbant. Quocirca omnes RR. Canonicos, ac Presbyteros, Rectores, et Ecclesiasticos, aliosque hujus nostrae Dioecesis, ut pro peragenda hac B. Alphonsi M. coeremonia stipem aliquam pro viribus conferant, deprecamur, et enixe obsecramus freti, omnibus cordi futuram majorem gloriam, ac protectionem benemerentissimi Beati, cujus in hac provincia nostris pene oculis Apostolicos labores, virtutes, et prodigia perspeximus, ac praesentissimum in publicis, et privatis necessitatibus patrocinium experti sumus.

Committimus autem hujus Dioecesis Vicariis Foraneis, ut stipem, quam quisque pro sua pietate conferre maluerit, colligant, et summam collectam adjecta notula distincta nominum contribuentium, et quantitatis contributae fideliter nostrae Mensae Archiepiscopalis Oeconomo Generali tradant, cujus deinceps erit curare, ut tota pecuniae summa eis, ad quos spectat illam recipere ex designatis per Congregationis Majorem Moderatorem, perveniat.

Judices et Examinatores Synodales confirmati sunt omnes præcedentibusSynodis electi.

Et insuper adjecti sunt inter Examinatores

Ex Clero Sæculari Urbano

Illris. et adm. Rev. Dominus Joseph Zambelli Can. S· Metropolitanæ Eccl.

Illris. et adm. Rev. D. Franciscus Romano Can. ejusdem S. Metrop. Eccl.

Adm. Rev. Dominus Bartholomæus Rossi Can. Collegiatæ Eccl. S. Bartholomæi.

Adm. Rev. Dominus Ignatius Petrosini Rector Eccl. Parochialis S. Modesti.

Ex Clero Regulari

Adm. Rev. P. Aloysius Donnanno Ex Provincialis, et Magister Ord. Eremitarum S. Augustini.

Rev. P. Michael Addimandi Magister Ord. MM. CC. S. Francisci, et Guardianus Conventus hujus Civitat.

Rev. P. Antonius Biagioli Rector Collegii Soc. Jesu hujus Civitat.

Ex Clero Dioecesano.

Adm Rev. Dominus Bernardinus Landolfi Archipresbyter, et Vic. For Terræ Altavillæ.

Adm. Rev Dominus Ferdinandus Cesaratti Archipresb. Campi de Petra.

Adm. Rev. Dominus Nicolaus Vitone Archipresb, et Vic. For. Quercus Majoris.

Adm. Rev. Dominus Jacob Lusi Archipresb. Oppidi Græcorum.

Adm. Rev. Dominus Æmilianus Corvinelli Archipresb., et Vic. For. Limusanorum.

Adm. Rev Dominus Joannes Baptista Tartaglia Archipresb., et Vic. For. S. Eliæ.

JOANNES BAPTISTA CARD. ARCHIEPISCOPUS.





Paschalis Canonicus Ventura Synodi Secret.

APPENDIX

Ad Titulum III. de Sacramento Ordinis.

Dispaccio del Ministero, e Reale Segreteria di Stato degli Affari Ecclesiastici, 2. Ripartimento n. 708. a S. Eminenza Reverendissima il Sig. Cardinale Arcivescovo di Benevento.

Eminenza Reverendissima - In seguito delle rimostranze del Ministro di Grazia e Giustizia, e di quello degli Affari Interni, tendenti ad eliminarsi le difficoltà, che s' incontrano nella valutazione de' fondi costituiti in patrimonio sagro agli Ordinandi delle Chiese del Regno, per l' esatto adempimento dell' art. XXI. del Concordato, trovandosi da S. M. opportuno di agevolare la Costituzione de' Sagri patrimonj, e facilitare in tal modo la promozione de giovani Chierici al Sacerdozio, specialmente nell' attuali circostanze, in cui il bisogno di aumentare il numero de' Preti si fa spesso sentire in diverse Diocesi del Regno, nel consiglio ordinario di Stato del dì 12 dello scorso marzo si degnò la M. S. dichiarare, previo il parere della Consulta generale del Regno.

1.° Che i tribunali civili nell' esame de sagri patrimonj si debbano restringere a vedere soltanto la pertinenza de' beni, e la loro esenzione da' vincoli d' Ipoteca, ed anche di censo, senza entrare innanzi tempo, e vivente il padre, nella discussione del dritto della legittima degli altri figliuoli.

2.° Che nella valutazione de' beni debbano stare, ad ozione della parte, o al semplice imponibile accettandolo per rendita effettiva, o alle norme contenute nell' art. 33 della legge de 29 dicembre 1828. per la spropriazione forzata, moltiplicando l' imponibile secondo la legge, e da tal capitale ricavando la rendita in ragione del cinque netto per cento; o all' apprezzo secondo il

disposto degli art. 35; e 104 della legge medesima. E che in tutti i casi i ducati cinquanta debbano essere lordi di fondiaria.

Nel Real nome lo partecipo a V. Emin. Reverendissima per sua intelligenza, e regolamento - Napoli 29. maggio 1830. - Pel Consigliere Ministro di Stato Ministro Segretario di Stato degli affari Ecclesiastici impedito - Il Direttore Antonino Franco.

Ad Titulum VI. de libris improbatæ lectionis.

Referuntur Decreta, quibus probante Summo Pontifice, damnantur atque proscribuntur, vel alias damnata, atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit Sacra Indicis Congregatio opera, quae sequuntur:

Feria scilicet II., die 24 augusti 1829. Die Einfuhrung der erzvvungenen Ehelosigheit bei den christtichen Geistlichen und ihre Folgen. von. Dr. Johann Anton Theiner und Augustin Theiner - *latine vero* - Introductio Coelibatus coacti apud Christianos Sacerdotes, Auctor. Dr. Joanne Antonio Theiner et Augustino Theiner.

Zur Berichtigung der Ansichten uber die Aufhebung der EhelosigKeit bei den Katolischen Geistlichen - *latine vero* - Correctio opinionum de abolitione Coelibatus pro Clericis Catholicis.

Storia dell' Olanda, e dei Paesi Bassi compilata dall' Ab. Leonardo Sanvitali, compresa nel complesso della Storia universale del Sig. Conte di Segur.

Histoire des institutions de Moise, et du peuple Hebreu, par J. Salvador.

Libri Geneseos secundum fontes rite dignoscendos adumbratio nova. Auctore Dr. C. P. W. Gamberg.